


DE  
MATERIIS AD ELATERII ORDINEM  
PERTINENTIBUS  
QUAEDAM DISQUISITIONES.



DISSERTATIO INAUGURALIS  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
UNIVERSITATE LITERARUM CÆSAREA  
**DORPATENSI**  
AD GRADUM  
**DOCTORIS MEDICINÆ**  
RITE ADIPISCENDUM  
LOCO CONSUETO PALAM DEFENDET  
AUCTOR  
**Henricus Wolodzko**  
POLONUS.



DORPATI LIVONORUM.

TYPIS VIDUÆ J. C. SCHÜNMANNI ET C. MATTIESENI.

MDCCLVII.

**I m p r i m a t u r**

In hac dissertatione, ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, numerus exemplorum lege praescriptus collegio tradatur ad libros explorandos constitute

Dorpati Livon. die XXIX m. Novembris a. MDCCCLVII.

Dr. Samson,

ord. med. h. f. Decanus.

M 253.

(L. S.)

*ANS*

VIRO EXCELLENTISSIMO NOBILISSIMO

THOMAS A NARKIEWICZ JODKO,

SCHOLARUM GUBERNII MINSKENSIS CURATORI  
HONORARIO, UTRIUSQUE JURIS CANDIDATO,

A CONSILIIS AULICIS


HANC COMMENTATIONEM

PH. GRATIQUE ANIMI

TESTEM

OFFERT

AUCTOR.



## *Proœmium.*

Substantiae a me in disquisitionem vocatae  
inde ab antiquissimis temporibus in arte medica  
usurpatae sunt; at nihilosecius, quamvis id te-  
stentur vetustatis, quamvis tum antea vario  
modo sunt adhibitae, tum nunc etiam saepius  
abhibeantur, propriae tamen de earum effectu  
nos deficiunt disquisitiones pharmacologicae;  
nec quisquam ad hoc tempus quaestionem vide-  
tur proposuisse, quibus potissimum elementis  
substantiae a me indagatae effectum debeant,  
ac praesertim, quaenam sint momenta, unde ef-  
fectus pendeat.

Literarum, quae circa hanc rem editae  
sunt, satis magna exstat copia; verumtamen,  
ut ratione critica de illis judicetur, iisdem de  
causis, quas supra commemoravi, neque mea

neque cuiuslibet lectoris unquam intererit; nihilominus vero in progressu commentationis meae alios auctores proferam, ut scilicet exortae de ea re dissensiones illustrentur.

Quod autem, etsi nonnullis tum in animalibus tum in me ipso institutis experimentis, etsi rem, quam mihi explorandam sumsi, literarum via amplexus, eventum tamen certum et exceptatum adeptus, non sum, hinc sane non possum, quin, omissis difficultatibus, quae solvendae huic quaestioni obstabant, nimis breve temporis spatium, quod maxime doleo, commentationi adeo copiosae concedi potuisse fatear.

Denique licitum mihi sit, ut viris doctissimis Buchheim et Bidder, professoribus illustrissimis honoratissimis, qui in disquisitionibus a me susceptis consilio et re libentissime me adjuverunt, gratias, quas iis debeo, quam maximas persolvam.

## **Elaterium album et Elaterium.**

**M**omordica Elaterium L., ex familia Cucurbitacearum, fructum edit cucumerem, unde tria Elaterii genera comparantur. Sunt haec:

1. **Elaterium album Anglieum**, sedimentum sponte siccatum succi ex cucumere immaturo expressi, frustula tantum format tenuia, leviter inflexa, friabilia coloris cinereo-viridis, saporis subamari, quae odorem spargunt secali cornuto similem, leviora sunt aqua, adjecto vini spiritu tinteturam edunt viridem, in eaque maxima ex parte solvuntur. Haec optima est et efficacissima species.

2. **Elaterium nigrum s. Extractum Elaterii** evaporando succo expresso cucumerum acquiritur, extracto persimilis apparel, satis amari est saporis, in spiritu vini quarta ex parte solvitur. Haec pessima est species et inefficacissima.

3. **Elaterium Melitense** cuius majora frusta quam Elaterii Angliae occurunt, nonnumquam tactu molle et

cretaceum reperitur, coloris est pallidioris, nisi pigmentis vitiatur. Plerumque frusta etiamnum eretam et amyllum continent: quo sit, ut acida, addito Elaterio Melitensi, effervescent. Elaterio albo, quod, uti commemoravi, optima species est, quum ejus indolem integrum quam maxime tentasse, ad instituenda experimenta usus sum.

Jam 0,006 grammata Elaterii, quae nona hora matutina sumpseram, tribus post usum horis nausea mihi ciebant. Praeter solitam alvi dejectionem, quae cesserat, post horas octo alvus perquam liquida exinanita est, quam duabus interjectis horis altera illi fere similis sequebatur. Nausea autem sero demum vesperi desit. Experimentum pari eventu iteratum est.

B, quum eandem dosin sumpsisset \*), paulo post nausea affectus, sex post usum horis tres alvos liquidas brevibus intervallis continuas dejecit. Nausea quidem brevi post alvi dejectiones desit, sed nihilo minus duobus deinceps diebus propriam ille percepit abdominis sensibilitatem nec non borborygmos saepe redeuntes.

Neque B, neque egomet ipse adauctam urinae secretionem animadvertere potuimus. Ut ex Elaterio Elaterinum nancisceremur, copiam satis magnam Elaterii albi in balneo aquoso, adjecto alcoholе absoluto, excoxiimus: qua in re major illius pars in alcoholе solvebatur. Liquorem quam

\*) Dignum est notatu, substantias eam, de quibus agitur, tempore matutino plerumque sub forma pituitari me sumpsisse.

maxime limpidum saporis amarissimi colorisque ex viridi nigricantis in filtro posuimus: quidquid resedit, ratione supra tradita pluries ope alcoholis tractavimus filtroque deinde percolavimus: quae ratio eo usque repetita est, donec tandem alcohol coloris saporisque expers ex filtro prodibat; quo facto omnem liquorem quieti dedimus.

Residuum post omnes deinceps filtrationes in filtro relictum, quod coloris erat sordidi cinerei nulliusque saporis, sub microscopio massam amorpham, varie formatam, planatarumque cellulas eadem massa repletas, nec vero ullum vestigium crystallorum Elaterini exhibuit.

Hujusce residui, adactis pedentium dosibus, quum denique 2,24 grammata pro dosi sumpsisset, nullum omnino percepi effectum: unde evidenter argumentari licuit, elementum efficax in extracto alcoholico querendum esse.

In liquore, quem nacti eramus, per horas viginti quatuor reservato sedimentum minimum coloris cinereo-albidi perspicie poterat, unde adducti sumus, ut liquorem denuo in balneo aquae calefactum filtrationi subjiceremus. Cujus liquoris tum plane limpidi dimidia pars evaporata atque deinde crystallizationi data est; tum vero, quamquam interjectis viginti quatuor horis in vasis parietibus jam secesserant crystalla, massam filtratam, usque dum siccesceret, evaporavimus: quo facto, residuum subfuscum coloris restabat, quod neque in frigida neque in aqua ferventi solvi posse nobis persuasimus.

Quod residuum postremo receptum, quum adhibito ae-

there extractum esset, speciem induit pallidiorem, ipse vero aether coloris factus est ex viridi nigricantis. Aethere filtri ope separato ac deinde destillato, adeps perviridis, chlorophyllo tinctus, cui exigua inerat Elaterini copia, in lagena retorta relictus est: qui adeps sub fervore sensim adacto odorem diffudit adiposum et denique paullulum cineris reddidit.

Residuum, quod aethere extractum paluisse diximus, in balneo aquae alcoholis ope solutum est, qua in re liquor colorem subflavum induit: quapropter illum, adjecto carbone animali, in balneo aquae usque eo, dum ebulliret, fervefecimus, fervefactum filtro separavimus, deinde, quidquid residit, plures etiam alcoholis ope exploravimus. Quo facto liquorum filtratum ad partem tertiam evaporavimus, evaporatum crystallizationi dedimus; tum massa crystallina, chartis bibulis interjecta, sub pressu idoneo exsiccata est.

Elaterinum, materia indifferens, teste Zwinger\*) ex  $C_{69,49}H_{8,22}O_{22,29}$  constat, prismata rhomboïdalia efficit, quae, si plurima sunt, speciem offerunt nitidam sericeam omnique sapore carent. Quae res altera disquisitionibus omnibus hucusque institutis repugnat, quum Elaterinum non solutum, excepto Marquart\*\*), qui illud nullo sapore at simul paullulum acri praeditum esse censuit, ab aliis auctoribus pro materia perquam amara habeatur. Elaterinum mo-

\*) Pharmaceutisches Central-Blatt für das Jahr 1835. pag. 850.

\*\*) Pharm. Central-Bl. f. d. J. 1842. pag. 922—923. Leipzig

dico sub calore, diffusis vaporibus acide oletibus, ad massam oleaceam colliquescit, ubi vero gravius fervefactum est, vapores spargit myrrham oientes atque penitus combustur, nullo restante cinere. In aqua Elaterinum insolubile se praebet, adhibito aethere difficulter, spiritu vini facile solvi potest, in oleo olivarum sub calore liquescit; solutiones per quam amari sunt saporis. Acidis dilutis atque alcalibus Elaterinum solvi non potest, acido sulphurico concentrato facile solvitur, edito colore purpureo: ex qua solutione, si aquam adjeceris, praeципitatum satis rubidi coloris efficitur. Acido nitrico Elaterinum, ut primum fervefactum est, colore edito rutilo solvitur: qua in re, affusâ aquâ, sedimentum rubrum floccosum oriri videmus. Adhibito acido nitratico Elaterinum, si conserbuit, subrubro inficitur colore, neque tamen omni ex parte solvitur; additâ aquâ flocci rubri existunt. Adjecto acido acetico illud, si conserbuit, coloris expers solvitur, sed, refrigerato liquore, integrum rursus secernitur.

Quum Elaterini parvac doses, si ad usum internum praebentur, magnam in organismo vim exerceant atque, uti ex literis pharmacologicis patet, ipso quoque usu externo non modo inflammationem partis affectae sed universa etiam symptomata venenationis provocent, majores vero doses ipsam mortem consciscant, persuasum mihi esse volui, quanam ratione iidem effectus ad diversas corporis partes se habeant et quibus ex momentis illi pendeant. Itaque Elaterinam, quia unicum se praebuit elementum efficax, ejusque

multo simplicior est usus, in experimentis, quae sequuntur, et in me ipso et in animalibus institutis adhibitum est.

1) Elaterini 0,005 grammata, quae sumpseram, post horae spatium mihi nauseam moverunt, quae tum demum cessabat, quum horis quinque interjectis duae alvi liquidae praeter dejectionem semel quotidie solitam\*) sequerentur.

Elaterinum à B et me ipso non solum sub forma unguenti, et quidem 0,12 gramm. in 1,24 gramm. adipis, sed etiam in olei solutione quam maxime concentrata brachio infictum est: quod experimentum plures necquidquam repetivimus.

3. Egomet ipse bis vesicatorium brachio applicavi. Postquam vesica parvo cultri ictu, mediae ejus parti illato, evacuta est, 0,06 grammata Elaterini in exigua olei copia soluti capsulae vesicariae injecta sunt; tum brachium, non mutato ejus situ, quo Elaterini solutio effluere non poterat, per horae spatium illius actioni permissum est. Quo experimento nullum ego percepi dolorem; neque Elaterinum ullam loco vesicario vim intulit neque ullum ex symptomatis universis provocavit. Pars cutis affecta mox consanuit, nec quidquam a norma discedens mihi se obtulit.

4. Elaterini in oleo solutio quam maxime concentrata a me bis itidem sine ullo eventu brachio scalPELLi ope infra epidermidem illata est.

5. B. et ego ipse, nulla omnino percepta reactione,

\*) Quae ibi semper statuenda est, ubi ejus non fit mentio.

0,005 gramm. Elaterini membranae mucosae inter gingivam et labrum inferius applicavimus ita, ut Elaterinum eodem loco, quo erat applicatum, horā amplius manere posset, nullo simul periculo, ne per salivam emitteretur neve deglutiretur.

6. Elaterini in oleo solutionem ego membranae nasi pituitariae inflicui, sed itidem sine ollu eventu.

7. Incisiones cutis in duabus felibus factae sunt, in altera ad longitudinem unius pollicis a latere, in altera duorum sere pollicum in regione cervicali. Utrique vulneri 0,06 gramm. Elaterini in oleo soluti injecta sunt, suturaeque additae. Altera felis, quum intra horas quatuor et quadraginta nulla perspici posset reactio, circumacto hoc tempore libera emissā est, altera, cuius interior cutis pars paulo post injectam solutionem rubuerat atque postero die levī in cervice rigor observari poterat, diutius etiam retenta est. Interjectis septem diebus ex vulnere pus effluere coepit, fistulae utrimque deorsum se aperuerunt, cutis tegens, quo ad illae pertinebant, intermortua est, magnumque in collo exstitit vultur; ceterum felis eibi satis fuit appetens, neque ullum aegrotationis universae signum praebuit.

8. Elaterini 0,006 gramm. sub forma pilularum feli data sunt; quo facto quinque horis post vomitus gravis et liquidae dejectiones sequebantur. Altero mane felis prorsus bene valuit.

9. Interjectis aliquot diebus eadem dosis, postquam apertum erat abdomen, intestino felis infra ductum chole-

dochum illata est; tum intestinum supra pilulam dupliciter subligavimus. Alvis satis solida, quae post horas quatuor dejecta est, haud certa fide pilulae Elaterini attribui poterat; felis usque ad posteram lucem bene valuit. Fele strangulata, quum cavum abdominis apertum tractusque intestinalis diligentissime perquisitus esset, intestinum crassum faecibus duriusculis repletum apparuit, neque ullae tamen mutationes vel in tractu intestinali vel in aliis organis, excepta levi peritonitide, quae ex operatione accesserat, amplius animadvertisse poterant.

10. Hoc in experimento 0,12 gramm. Elaterini sub forma boli tractui intestinali injecta sunt. Interiecta horum faeces satis solidae dejectae sunt; quinque post operationem horis felis mortua est. Aperto cadavere patuit, bolum tractui intestinali inversum nos intulisse: membrana intestini mucosa inde a loco subligato usque ad ventriculum graviter inflammata nimisque dilatata atque humore helvolo referta erat; nec minus membrana mucosa ventriculi, etsi non aequre vehemente, inflammata erat atque humore bilioso redundabat; ipsa vesica felice itidem oppleta cernebatur. In ea tractus intestinalis parte, quae infra locum subligatum sita erat, nihil, quod normam excederet, perspici poterat. Intestinum crassum faecibus solidis repletum fuit, ejusque membrana mucosa, uti ex sectione ante instituta videramus, integra reperta est.

11. Dosis Elaterini, quam adhibuimus, eadem fuit, quae in experimento superiore, sed intestinum tres fore pollices

a ventriculo subligatum est. Interjectis quatuor post experimentum horis felis mortua est, nullo antea exorto vomitu neque dejectis alvis liquidis: modo brevi post operationem faeces prorsus solidae emissae erant. Sectio cadaveris haec praebuit: Omne intestinum tenue inde a loco subligato usque ad eum, quo in intestinum crassum transibat, acerrima correptum erat inflammatione, quae in partibus inferioribus levior apparebat. Praeterea intestinum, pariter atque in casu antecedente, dilatatum et fluido helvolo repletum erat. In reliquis organis nihil irregulare conspici poterat; in intestino crasso faeces inerant durae, ejusque membrana mucosa aequaque ac ventriculi non erat mutata.

12. Hoc experimento pars inferior intestini tenuis subligata est, deinde 0,06 gramm. Elaterini sub boli forma intestino injecta sunt. Felis, quae undecim post operationem horas spirabat, semel vomitavit; alvi dejectio nulla, neque alia praeterea symptomata nobis obllata sunt. Cadavere aperto patuit, partem intestini tenuis superiorem accumulatis ibidem succis dilatata m̄ leviterque inflammatam, membranamque mucosam partis illius inferioris, quae pilulam exceperat, totam coagulis sanguinis obtectam esse: quac res usque ad unum fere dimidiatumque pollicem ab eo loco observari poterat, quo membranac mucosae intestini tenuis et crassi inter se contingebant. Intestinum crassum faecibus satis solidis repletum ejusque membrana mucosa non mutata erat. In reliquis corporis partibus nullae repertae sunt mutationes.

13. Solutis in oleo amygdalarum 0,06 grammatis Elaterini, 18,72 gramm. emulsa venae jugulari felinae injecta sunt. Duabus post operationem sexagesimis respiratio admodum fuit accelerata: felis inquietus se gessit, in cista se volutavit, ex ore humorem spumosum effudit; brevi post respiratio stertorosa evasit, atque interjectis deinde viginti duabus sexagesimis felis mortua est. Praeter rubefactas utriusque pulmonis partes inferiores sectio cadaveris nihil aliud mutationis obtulit.

14. Postquam ex vena felis jugulari circiter 11,24 gramm. sanguinis emissa sunt, ex Elaterini 0,03 gramm. in oleo amygdalarum solutis 11,24 gramm. emulsa in eandem venam sunt injecta. Per totam ex operatione horam respiratio animalis accelerata fuit, ceterum felis quietam se praebuit; circumacto demum hoc spatio respiratio perquam celeriter cessit, spuma ex ore effluxit, denique respirandi difficultas atque sesquihora post operationem secuta est mors. Sectione corporis facta, oedema vehemens et hyperaemia in lobulis pulmonum inferioribus et mediis reperta sunt, ceterum nihil in aliis organis mutatum apparuit. Quae duo experimenta postrema vim Elaterini in sanguine venenosam ac letiferam testantur; quomodo Elaterinum in sanguine motetur, disquirendum etiam et demonstrandum reliquitur.

Ratio indifferens, quam Elaterinum in acida et alcalia exhibit, deficiens ejus in cute et in membrana mucosa oris nasi que efficacitas me commoverunt, ut, positis, quae in corpore reperiendae sunt, conditionibus, experimenta quaedam instituerem.

Itaque Elaterinum, adjecta aqua destillata, in aquae balneo, cuius temperatura  $30^{\circ}$  R. non superabat, reposui, praetereaque simili modo primum emulsa amygdalarum semina, deinde saliva, tum digestae intestini et denique ventriculi membranae mucosae adhibitae sunt; verumtamen ne ullum quidem mutationis vestigium mihi oblatum est. In his quidem periculis non omnia momenta, ex quibus vis pendet Elaterini, eadem simul adfuerunt, quae in tractu intestinali reperiebantur; neque a vero abest, momenta illa in sucis digestoriis tubi intestinalis adesse; sed quanam in parte adsint, difficile est dictu, quum, uti experimenta supra exposita docent, Elaterinum in diversis intestini tenuis partibus pari ferme celeritate magnos provocare effectus valuerit, quos ut praestaret, minime, uti Jalapae resina, adjuvante bile egebat. Mors subita animalium partim intelligi potest ex inflammatione acri, qua partes tubi intestinalis, applicato Elaterino, correptae sunt, atque ex paralysi inde exorta, quae alvi exinanitiones impedivit, partim ex effectu letali, quem Elaterinum sanguini injectum exhibuit atque ipsa resorptione provocare potuit; quamvis utroque in easu Elaterini mutationes plane ignoremus. Dum Elaterino ullam in eute vim esse nego, experimentum VII, quod instituimus, haud praetereundum esse reor, quum propter vulnus grave, quod felis, de qua agitur, collo illatum est, opinioni meae repugnari possit. Neque verisimile non est, Elaterinum, quod cum exigua sanguinis copia permisceretur, eodem modo, atque in ipsis vasis sanguiferis, mutatum esse atque ita inflamma-

tionem et simul fistulas, quae eam sequentur, elicere potuisse; verum et necesse est respiciatur, eandem felem posteris deinceps diebus, omissa parvo cervicis rigore, omnino bene valuisse, eamque postea suturas distraxisse, se scabisse et in cista se volutasse, qua in re sordes forsitan in vulnus penetrarent, vulnusque uno quodam loco, ubi pus non ita facile effluere posset, inflictum esse: quae omnia momenta inflammationem sane augere atque Elaterini in cute vim, quae certe conjectari poterat, minuere possunt. Si quis inflammationem illam soli Etaterino attribui vellet, symptomata, qualia in experimentis observata sunt, jam inde ab initio vel saltem insequentи operationem die necesse fuisset acrius et violentius sub adspectum eaderent. Etsi novimus, virum doct. Orfila\*), quum ternas drachmas extracti Elaterii in telam cellulosa femoris duorum canum injecisset, inflammationem acerrimam atque interjectis circiter viginti quatuor horis mortem secutam vidisse, quaestio tamen nobis objicitur, num tandem inflammatio Elaterino non mutato attribui possit? Quid enim causae est, quod 0,06 gramm. Elaterini neque mihi ipsi, cuius cuti vesicatorio denudatae illa sunt applicata, neque alteri B., cuius brachio sub unguenti forma inficta sunt (vide experimentum II), ulla symptomata provocaverint, quum profecto si Elaterinum efficax esse dicitur, dosis ad-

---

\* ) Lehrb. der Toxicologie von Orfila, übersetzt von Krupp. Braunschweig 1853. pag. 89.

hibita, meo praesertim in easu, pro idonea haberi possit, qua inflammatio certe efficiatur. Quomodo autem experimenta illa ab Orfila instituta ad mortem duorum canum referenda sint, difficile est explicari; si enim concesseris, Elaterinum cum sanguine mixtum immutari posse, nihil secius tamen, quid causae animalibus mortem attulerit, mihi quidem in ambiguo relinquitur, quum dosis feli a me adhibita, etsi pro dosi trium drachmarum minor, certe tamen, ne dicam mortem, at universa saltem symptomata provocare potuerit. Vis specifica in intestinum crassum, quam Orfila Elaterino vindicavit, meis quidem experimentis comprobata non est.

Hac disquisitiones meae, quae minime, ut illae, quae a Schröff<sup>\*)</sup> de hominibus atque a Morris<sup>\*\*)</sup> de animalibus institutae sunt, id spectabant, ut universa fortasse symptomata ex interno Elaterini usu provocarent, immo potius, ut non modo quaestionem solverent, quibus ergo conditionibus Elaterinum efficax esset, sed etiam illus rationem ad diversas organismi partes docerent, satis mihi persuaserunt, quot et quantae in disquirendis ejusmodi rebus investigatori vera petenti objeciantur ; difficultates. Quodsi, quamvis haud nescius, multa in disquisitionibus a me institutis manca parumque expleta esse, non potui tamen, quin

---

<sup>\*)</sup> Lehrbuch der Pharmacologie von Dr. Carl Schröff. Wien 1856. p. 353.

<sup>\*\*) Systematisches Handbuch der Arzneimittellehre von Dr. F. L. Stromppf. Berlin 1835. Tom. II. pag. 218.</sup>

de Elaterino quaedam argumentarer, id quidem tanto libenter factum est, quod, quaecunque a me conclusa sunt, etsi sententiis aliorum hucusque de hac re traditis repugnant, eventus tamen exoptatos certiores unius alicujus ex spectatissimis pharmacologis excitare et elicere possunt.

### Radix Bryoniae.

Radices duarum specierum, bryoniae albae L. et bryoniae dioicae Jaeg., ex familia Cucurbitacearum, virtutibus externis parum inter se differunt atque effectibus suis altera alteram aequiparare dicuntur. Experimentis meis bryonia alba mercabilis adhibita est. Itaque hujus radicis primo exsiccatae ac deinde in pulverem redactae 0,30 gramm. sumpsi; verumtamen illius effectum tum demum percepit, quum dosis sumenda, semper duplicata, ad 19,86 gramm. adscenderat: qua sumpta nauseae adeo graves ortae sunt, ut ejus usum intermittere cogerer. Radix minoribus dosibus sumpta leviterat sapore, majoribus autem perquam amaro.

Effectus adeo tarde accedens me adduxit, ut ex horto botanico hujus urbis radicem recentem mihi peterem: cuius usi opinionem meam, quum radicem mercabilem diurno situ plurimum efficacitatis amisisse erederem, comprobata vidi. Nam 1,84 gramm. hujusee radicis recentis, primo siccatae tum in pulverem redactae, quum tempore matutino sumpta essent, jam tribus post horis nausea moverunt, quae tamen post coenam cessabat. Postero die horis duabus post usum 3,72 gramm. nausea accessit, quae adeo sensim adaucta est, ut post duas deinde horas vomitarem.

Interjecta sesquihora, duae paulo deinceps alvi liquidae dejectae sunt; nausea usque ad serum vespers tenuit. Tum copiam quandam radicis recentis, quum eam primo siccassent, deinde in pulverem redigisset, ope alcoholis usque eo extraxi, quoad alcohol sapore suo exueretur. Residuum inde receptum, quum sumpsisset, nullus efficacitatis esse cognovi.

Destillato deinde extracto alcoholico, portionem liquoris floccosi subfuscui, quam inde nactus eram, usque ad extracti consistentiam evaporare conatus sum: qua in re flocci subfuscui ex liquore, cuius in superficie jam guttulae adipisimiles coloris subfuscui rutili natabant, magis magisque secernebantur. Tum vero, quum ab evaporando destitisse, liquore a floccis separato, residuum floccosum ope aquae destillatae sub modico calore usque eo extraxi, donec aqua paullum colorata videretur. Quo processu quum major residui pars soluta esset, guttulae adiposae, quas supra commemoravi, rursus in conspectum venerunt: quo facto extractum aquosum cum liquore post intermissam evaporationem separato permixtum est. Tum omnis haec massa fluida et simul residuum floccosum, quod nactus eram, usque ad extracti consistentiam evaporata sunt.

Duobus his extractis usus sum: utrumque amari erat saporis. Effectus eorum hic fuit.

Initio extracti alcoholici 0,03 gramm. sub forma pilulari sumpsi, sed nullo effectu; deinde, adaugitis ad 0,72 dosibus singulis, post horas tres nauseam, borborygmos percepit;

septem post usum horis duae dejectae sunt alvi perliquidæ, quibus nausea cedebat. Extracti aquosi 0,06 gramm. sine ullo eventu adhibui, campie dosin usque ad 1,24 gramm. adauxi: quibus sumptis, quum duae intercessissent horæ, nausea, atque duabus inde post horis vomitus accessit: tum, brevi interjecto tempore effectus evanuit.

Qui effectus utriusque extracti docuit, clementum efficax in duobus his extractis dispertitum ac diffusum esse, ergo meam explorandi methodum minime idoneam fuisse. Brandes et Firnhaber\*) bryonium, quod ratione chemica pararunt, massam esse dicunt coloris subflavi albidi (teste Fremy parva crystalla), quae aqua et spiritu vini soluta atque perquam amari sit saporis. Du Long\*) vero bryonium materiam badii coloris esse testatur. Verumtamen, quum hac de re inter se dissentiant auctores, ne illud quidem probatum est, num bryonia soli huic bryonino, quod illi se parasse dicunt, efficacitatem suam debeat necne.

*Colocynthis*, fructus citrulli *Colocynthidis*, Schrad., ex familia Cucurbitacearum.

Ut primum fructus a seminibus repurgati sunt, satis magnam illorum copiam adhibito aethere tamdiu extraximus, dum etiam aether saporem amarum flavumque colorem praebebat: qua in re sedimentum in vaso efficiebatur minimum helvoli coloris, saporis graviter amari; postea aether, quum coloris saporisque expers fieret, ex sedimento defusus, deinde destillatus est. In lagena retorta pro nu-

mero Colocynthidum perexigua relicta est copia extracti sedimento similis illudque resipientis.

Nihilominus vero Colocynthides saporis amari fuerunt: quae res argumento erat, easdem aetheris ope hanc satis extrahi potuisse; unde adducti sumus, ut iam alcohole ad extrahendas illas uteremur.

Quod extractum alcoholicum simulatque cum extracto aethereo, cuius perexigua in vaso copia relicta erat, permiseri coeptum est, totius massae apparuit turbidatio, ex qua concludi licebat, alcohole extractas esse materias, quas aether extrahere non potuisset. Extractum alcoholicum coloris fuit intensius fulvi, tardius fluens, saporis amrioris.

Destillato extracto aleholico, residuum floccosum badii coloris saporisque perquam amari, quod nacti eramus, usque ad extracti consistentiam evaporavimus.

Colocynthides hunc in modum extractae omni sapore et effectu carebant.

Hujusce extracti alcoholici 0,015 gramm. sub forma pillulari ahibui; tribus interjectis horis nausea et borborygmi exorta sunt, sed brevi post desierunt. Postero die 0,030 gramm. sumpsi; tribus post usum horis accesserant nausea, dolor abdominalis, borborygmi, denique alvi dejectio liquida, cui omnia symptomata priora cedebant.

---

\*) Chemie der organischen Verbindungen von C. Lüwig. Tom. I. Ed. II. Zürich 1845. pag. 802.

\*) Journal de Pharm. XII. pag. 154.

Jam duo illa extracta non modo propter eorum solubilitatem sed etiam, ut amplius de iis quaererem, adhibitis aqua et alcoholē tractare conatus sum.

Quum extractum aethereum cum aqua mixtum per dies aliquot reposuisse, aqua quidem colore flavo imbuta est, nec tamen extracto soluto. Liquor defusus, deinde filtrato percolatus, solis calori expositus est, unde massa restabat solida resinosa coloris ex flavo badii, quae similem aliis extractis speciem praebebat.

Eodem extracto tum alcoholis ope soluto, liquorem filtro percolatum itidem solis calori exposui. Interjectis quatuor et quadraginta horis natantes in eodem liquore vidi floccos helvoli coloris, nec non sub microscopio passim obllata mihi sunt spatiola fulva, in quibus aculæ Margarini aculis similes animadverti poterant. Liquor usque ad extracti consistentiam evaporatus est; residuum inde formatum eadem fuit specie, qua extractum aethereum.

Extractum alcoholicum itidem aqua destillata solutum est. Quae solutio quum turbidata appareret, usque adeo ci adjecta est aqua, donec limpida evaderet. Quo facto, omnis liquor in horas quatuor et quadraginta quieti datus est, quo tempore sedimentum in vaso vitro efficiebatur. Tum liquor ex sedimento defusus, deinde evaporatus est, qua in re in superficie guttulae nitidæ adiposae coloris subrufi atque sedimentum priori simile exorta sunt. Quae omnia usque ad extracti consistentiam evaporata ac deinde, quum nihil different a sedimento priore, quod, extracto al-

cohlico soluto et quieti dato, exortum erat, cum eodem illo commixta sunt.

Tum massa omnis haud multo vini spiritu soluta et deinde, admixto aethere, quo turbidatio movebatur, per aliquot dies quieti tradita est. Aether, etsi manebat limpidus, colorem tamen induit subflavum; extractum praebuit sedimentum.

Hujus extracti insolubilis 0,06 gramm. sub forma pilulari sumpsi. Accesserunt quatuor fere post horis nausea, dolor colicus, borborygni; brevi post duae alvi liquidae paulo deinceps dejectae sunt. Tum symptomata omnia abierunt.

Aether, ex sedimento altero defusus, destillatus est, unde residuum restabat coloris helvoli, saporis graviter amari.

Sumptis ejusdem residui 0,03 gramm., hunc percepit effectum. Duabus post usum horis nausea accessit, duabus inde post horis borborygni, colici dolores, duae paulo deinceps alvi dejectiones liquidae. Practerea nequidquam factum est periculum, num forte sapor extracti amarus adhibito kali lixivio amoveri posset.

Ex iis, quae supra sunt, exposita, perspici potest, elementum efficax Colocynthidis non esse nisi materiam extractivam, quae aqua et spiritu vini facile, aethere difficultius solvi possit, bryoniamque et Colocynthides, utpote materias ad unam familiam referendas, etiam sub tractatione inter se consimiles apparere, quum in evaporandis earum

extractis sedimenta floccosa guttulaeque adiposae coloris badii, in superficie natantes, efficiantur. Vanquelin<sup>\*)</sup> easdem guttulas, quas principium amarum Colocynthidum appellat atque nomine Cologynthini significat, massam esse contendit friabilem coloris pallidi subflavi saporisque amari. Verumtamen demonstratum adhuc non est, illud quidem ipsum elementum efficax esse; quoniamque ad eo manca extet de signis peculiaribus explicatio, multa etiam reliqua sunt, quae desiderentur.

Licet mihi hoc loco, quum occasio tulerit, etiam de aloë mentionem injicere. Quamquam, adhibitis dosibus majoribus, effectus illius physiologici a materiis ad hanc familiam pertinentibus varia ratione differunt, haud indignum tamen est, quod respiciatur, elementum aloës efficax pariter materiam extractivam, aqua et spiritu vini facile solubilem, aethere insolubilem, eandemque saporis per quam amari esse, item in evaporando ejus extracto et sedimentum et guttulas adiposas badii coloris, quas in explorandis bryonia atque Colocynthibus vidimus, formari solere: unde proponenda est quaestio, nonne aloë propter hanc ejus rationem eidem familiae adjungenda sit?

**Herba gratiolae ex Gratiola officinali L., ex familia Scrophularinearum.**

Hujus herbae 0,6 gramm. adhibui atque, nulla ex usu orta reactione, sequenti deinceps die dosin ad 4,24 gramm.

adauxi. Interjectis quatuor horis, nauseaem percepit, quae ad serum vesperis tenebat. Deinde postero die, quum 1,54 gramm. sumpsissem, exorto quinque post horas vomitu magna affectus sum lassitudine viriumque defectione. Alvis dejecta non est. Nausea vesperi decessit.

Ex certa quadam copia herbae Gratiolae, pariter atque antea ex materiis supra dictis, extractum alcoholicum paravimus; quo facto herba extracta sapore et effectu carebat.

Extractum, quod saporis erat amari colorisque perviridis, destillatum est; liquor floccosus coloris perviridis, quem inde nactus eram, filtro colatus, residuumque resinosum, in filtro relictum, cum aqua usque eo permixtum est, donec aqua vix jam colore tingeretur. Liquor filtratus aequa ac residuum saporis erant perquam amari. Tum liquorem usque ad extracti consistentiam evaporavimus: quae massa evaporata saporis fuit amrioris quam residuum, quod in filtro restabat. Residuo deinde aetherem adjecimus. Aether colorem induit ex viridi nigricantem. Tertia fere residui pars in eodem soluta est. Tum aetherem defudimus, defusum destillavimus, unde massa resinosa, priori similis, relecta est. Cujus massae quum 0,6 gramm. sumpsissem, tum demum apparuit effectus, quum aductis pedetentim dosibus, ad 1,48 gramm. pro dosi sumenda processeram. Quinque post usum horis nausea accessit, deinde vomitus, ac brevi post tres alvi prorsus liquidae dejectae sunt.

Residuum in filtro relictum, quod aethere non erat solutum, jam in aquae balneo, adjecto alchole, aliquoties

exoctum est: qua in re alcohol colore perviridi imbuebatur, majorque pars residui, quod exploratum erat, se dissolverat. Quae omnia filtro percolata sunt, unde massa in filtro relictum est aequa resinosa coloris ex viridi nigricantis, quae omni sapore et effectu carebat.

Extractum aethereum idemtidem in aquae balneo alcoholis ope excoctum, deinde filtro percolatum est. Residuum resinosum coloris perviridis, ex omnibus filtrationibus in filtro relictum, quum sumpsissem, omni et sapore et effectu vacuum esse percepit. Extractum vero alcoholicum, quod jam erat evaporatum, saporis fuit modice amari: quod quum una dosi 15 gramm. sumpsissem, duabus interjectis horis exorta sunt nausea, ad vesperem usque continuata, tres vomitus paulo deinceps secuti, brevi post quatuor alvi dejectiones per liquidae, simulque acerrimi per totam noctem colici dolores, quibus cataplasma calida adhibere cogerer.

Extractum Gratiolae alcoholicum, primum omnium paratum, quod initio sub forma pilulari 0,06 gramm. una dosi necquidquam sumpseram, quodque tum demum, quum paulatim ascendens ad closin unam 0,58 gramm. progressus eram, quatuor interjectis horis dolorem levem in regione epigastrica atque, interjecta iterum hora, duas alvos liquidas excitabat, aqua destillata solutum, deinde cum plumbo acetico usque eo permixtum est, donec sedimentum coloris albidi cinerei helvoli efficeretur. Pars fluida deinde filtro percolata est, eaque coloris apparuit subflavi, saporis amari adstringentis. Liquor filtratus, quum inter evaporandum tur-

bidaretur, iterum filtro colatus, deinde, quum limpidior evassisset, usque ad tertiam partem evaporatus est. Tum acidum hydrosulphuricum, dum etiam resorberetur, in eundem liquorem induximus; liquorem plumbo sulphurato denigratum excoxi-  
mus, excoctum filtro colavimus. Massa filtratra badii fuit coloris, saporis perquam acido - amari. Residuum in filtro relictum aqua destillata compluries cluimus, omnemque liquorem filtratum usque ad extracti consistentiam evaporavimus.

Sedimentum plumbo acetico provocatum cum idonea aquae copia miscuimus, simulque acidum hydrosulphuricum tamdiu, quo ad etiam resorberetur, in eandem massam induxi-  
mus. Tum massam servafactam filtro percolavimus, filtra-  
tam, quae reactionis erat acerbe adstringentis colorisque badii, usque ad extracti consistentiam evaporavimus. Hoc quidem extractum nullius esse efficacitatis cognovi, unde colligi potest, elementum efficax in extractis prioribus ad-  
fuisse.

Elementum efficax Gratiolae similem omnino offert ra-  
tionem atque earum substantiarum, quas supra proposui-  
mus. Walz \*) Gratiolinum ad pulverem aeiculis albidis  
crystallizabilem se redigisse contendit: verumtamen illius disquisitiones, quae nimis late patent, propter incertam et complicitam explorandi methodum momento suo haud parum minuuntur; nec non argumenta in iis desunt pharmacologica idonea, ex quibus eluceat, num tandem Gratiolino vel ele-

mentis ab eodem illo auctore memoratis, Gratiolino, Gratiolacrino, aliis effectus Gratiolae attribui possit.

Quae substantiae tres quum ejusmodi essent, quarum elementa efficacia non ita facile statu integro parari possent, quumque temporis angustiae me prohiberent, quin disquisitiones susceptas amplius exsequerer, in eo jam acquiescere coger, quod persuasum mihi sit, si substantiarum ad organismum rationem physiologicam illud principium esse statuamus, ex quo illae in certum ordinem redigantur, materias a me investigatas optimo jure habendas esse, quae uni eidemque ordini adnumerentur.



## **THESES.**

---

- 1) Substantiae, ad Elaterii ordinem pertinentes, pro purgatoriis parum idoneis habenda sunt.**
  - 2) Elaterinum per se efficax non est.**
  - 3) Nitrum non est remedium antiphlogisticum.**
  - 4) Bryonini, Colocynthini, Gratiolonini adhuc nomina tantum inventa, nec vero ipsae substantiae sunt.**
  - 5) Decoctum Zittmanni rejiciendum est.**
  - 6) Calomel in curando typho abdominali nocere magis quam prodesse potest.**
-

